

Nr. 2 fehlt!

11. Dez. 1954 Lr

20.
19

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
**PRAECIPVIS ADIVMENTIS
ET IMPEDIMENTIS
FELICIS
MORBORVM CVRATIONIS,**

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
AD D. IANVAR. A.S.R. MDCCXLVIII.

PVBlice DEFENDET
AVCTOR
IACOBVS SCHVSTER,
MEDIA-TRANSYLVANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN AUCTORITATE MEDICO PRACTICA

DE
FRIGORIS ADIUVENTIS

ET IMPEDIMENTIS

FELICIS

MORBOZORVM CURATIONIS

AVCTORIS FELICIS

CONSENSU SENATORVM CIVITATIS MEDICAE

FRANCOFURTI

IN ACADEMIA PUBLICA UNIVERSITATIS

MDCCCLXXII

D. AVCTORIS FELICIS

FRANCOFURTI

IN ACADEMIA PUBLICA

UNIVERSITATIS

FRANCOFURTI

IN ACADEMIA PUBLICA

UNIVERSITATIS

FRANCOFURTI

IN ACADEMIA PUBLICA





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE
PRAECIPVIS ADIVMENTIS
ET IMPEDIMENTIS
FELICIS
MORBORVM CVRATIONIS.

PROOEMIUM.



Cum varia omnino sint, quae circa felices morborum curationes in censum *impedimentorum*, & quidem culpa aegrotantium & aegris adstantium, venire solent, non incongrue mihi agere videor, si praefaminis loco quaestionem ventilem: *An aegri & aegris*

A 2

ad-

*adstantes teneantur Medico obedire? Dura quidem auditu sunt, quae Ius Canonicum Decret. P. III. de Consecrat. Distinct. V. c. XXI. habet: Contraria sunt diuinæ cognitioni praecepta Medicina. Et sic nemo tenetur Medico obedire. Sed non iuuat, hic loci, calamum stringere, hancque huius Iuris positionem ad veritatis trutinam exigere. Animo potius sedent Diui AVGVSTINI verba: Ipse se interimit, in-
 quientis, qui Medici praecepta obseruare non vult. Quiuis hominum ad sui conseruationem obligatur. Deinde secundum Ictos etiam Medico in sua arte credendum. Ex hac ratione apud Romanos Medici, teste SENECA, *Libr. 7. de fato*, IMPERATORES audiebant, quia eorum consilia imperia erant. In causa aegrotantium supremus iudex est Medicus, cui omnes tam aegri, quam adstantium turba, obtemperare tenentur. Sed quam asperi saepe Medicis monitoribus, aegrotantes, aegris adstantes, quam immorigeri, si Medici ad rectora animos flectere student! Si non coram,*

coram, tamen furtim, raptim, multa conantur, quae ipsis aegris multa damna creant. Et sic iure de talibus hominibus HIPPOCRATES iamiam conquestus est: *Scientiam eorum, inquit, libr. de art. qui medicinam exercent, accusant, tanquam sane Medici quidem ea, quae non conveniant, imperare possint, aegri vero, quae imperata fuerunt, transgredi non possint. Atqui longe magis rationi consentaneum est, aegros non posse facere, quae imperantur, quam Medicos non convenientia iubere.* Quod vero peritorum Medicorum iudicio stare, eorumque consilia sequi renuant, causa nulla est, quam imperitia, impatientia, quod nimis dura praecipiat Medicus, quaeque pati non possint; sed scite respondet SENECA: *Nolle in causa est, non posse praetenditur, Epist. 116.* Quis vero desperatius aegrotat, quam qui remediis, & debito modo, uti negat, cum hoc nihil aliud sit, quam sanari non posse. Insimul lugeamus Medicorum facta. Etenim quod peccant & aegri, &

*adstantes, non ad aegrorum confessionem
vertitur, sed Medico imputatur. HIPPO-
CRATES in Praecept. Plura addere non
licet, ne solitam Prooemiorum breuita-
tem transgrediar. Cum vero, legibus aca-
demicis id poscentibus, specimen profe-
ctuum in arte medica acquisite exhiben-
dum sit, hinc, consentiente Illustr. DN.
PRAESIDE, in praesenti inaugurali Disserta-
tione praecipua adiumenta & impedimenta
felicitis morborum curationis, curatius ex-
ponere mecum constitui. Almus vero ge-
neris humani parens, sanitatis & confer-
uandae, & reparandae auctor, stator &
vindex, coeptis clementissime an-
nuat, ut omnia eueniant
secunda.*





§. I.



De adiumentis & impedimentis felices morborum curationis tractaturus, utique & numero & specie tam multa statim offendo, ut, si omnibus illis tractandis immorandi animus sit, Dissertatio mole ita turgeat, ut mihi Orestem, non Dissertationem scripsisse videar; hinc de *praecipuis* tantum tractasse sufficiat.

§. II.

Illorum *definitionem* bonae methodi leges quidem iubent. Cum vero harum vocularum notio tam nota sit, ut nemo circa illa haereat, aut difficultatis vel ambiguitatis quid in illis deprehendat, hinc eorum definitione facile superfedere licebit.

§. III.

§. III.

Consultum potius esse duco, illa ob varietatem, variosque, quos inuoluunt respectus, in certas digerere *classes*, vt ea partim conspectius oculis sistam, partim futurae forsan *B. L.* fatietati medear. Sequenti itaque ordine se inuicem excipiant, vt agam de hisce adiumentis & impedimentis I.) ratione *Medici*; II.) ratione *aegri*; III.) ratione *morborum*; IV.) ratione *medicamentorum*; V.) ratione *diaetae & regiminis*, & tandem VI.) ratione *adstantium*.

§. IV.

Hunc ordinem & normam dicendorum sequuturus, speciatim nunc sistam *adiumenta & impedimenta felicitis morborum curationis*

I.) *ratione Medici*, vbi primarium statim occurrit *adiumentum*. Hoc constituit *ipsa ars medica in eum gradum perfectionis, in quo nunc consistit, Deo auspice, euecta*. Ex historia *Medicinae* constat, quemnam habuerit ortum, quae fata, quae incrementa, per seculorum tractum. Et ex quo diuinum, vere diuinum *Harueianum* inuentum, circulatio sanguinis, innouit, illa, disiectis tenebris, fugatis vanis nominibus, euerfis precariis principiis, suffulta inuentis anatomicis, phisicis, chymicis, botanicis, mechanicis, superbit ceu ars scientifica, ita ut ab omni *Sectarum*, volaticarum opinionum, & aliorum mendacis ingenii figmentorum onere, libera esse possit. Hinc tantum huius aeui beneficium est,

est, vt illius sacris operantes, in praxi versantes, in physiologicis, pathologicis, semioticis, therapeuticis, tanta luce collustrer, vt sanitati, quae vna innumeris aliis huius vitae bonis potior, & conseruandae, & reparandae praesse possint.

§. V.

Egregio autem huic adiumento varia statim opponuntur *impedimenta*, & quidem

1) *hypothesium variarum* adhuc solennium *noxa*. Idem ex Historiae Medicinae paginis constat, quod per longas temporum intercapedines, hypotheses, aliae aliis succedentes, Medicinam turbinis instar circumegerint, ita, vt ad praesentis illustris seculi tempora, Medicis licet, quibus sanctiora praecordia, lugentibus, in sua sepulcreta compelli haud potuerint. Sed dies me deficeret, si in hisce recensendis Medicinae fatis longius excurrerem, hoc tantummodo commemoraturus, quod tales hypotheses, proh dolor! non in mente subsistant, sed, o serua obsequia! ad praxin relatae, interdum haud bene in morborum tractationes, & sanitatem, sanctissimam Medicinae legem, consulant. Hinc illae queraelae summorum in Medicina virorum. Instar omnium testem laudo Germanum Hippocratem, Illustr. b. m. HOFFMANNVM: *Variae hypotheses in medicina*, inquentem, non modo discordiam inter Medicos, sed maxime aegrotantibus perniciem adferunt. *Med. Syst. Tom. II. Cap. I. §. III. Schol.* Quare etiam hisce difficultatibus consulturus, non meliorem

liorem inire poterit rationem, quam ut sese ex hypotheseum labyrintho extricare adnitatur & iuxta veras medicas observationes, quae genuinum ac immutabilem naturae ordinem in vitae, sanitatis ac morborum negotio monstrant, tanquam ad lydium lapidem & cynosuram, omnia probe semper examinet. Conf. *l. c. Tom. III. Cap. II.* Cum hoc, ut cum Castore Pollux, coniunctus est

2) *dissensus Medicorum*, qui adhuc inter illos gliscit, quae in omnes Medicinae partes sese diffundit. Mirum videatur nemini, si iam iam HIPPOCRATES, ob illorum temporum rationem, hunc medentium dissensum aegre ferat, *libr. de vict. acut. §. 4.* Sed omnes teneat admiratio, quod adhuc orbem medicum talis adfligat & exagitet dissensus, cum Medicina, priorum temporum tenebris emersa, tales spargat veritatis radios, ut omnes dissensiones sub umbras indignatae fugiant. Qualis dissensus viget circa medicamentorum agendi modum, itemque circa heroicorum, ut opiatorum, mercurialium, emeticorum, antimoniatorum, martialium, &c. usum? Laudant, damnant. Imo, aegrorantium lectos circumstrepere audet, si Medici, ante lectum aegri convocati, consultationes suscipiant inter se dissidentes. Qui fieri aliter potest, quam ut misellus aeger, haec audiens, posita fiducia, dissidentia eos prosequi incipiat, haud bonis illius rebus. Vid. STAHLII *Propempt. de dissensu Medicor.* Quare BOHNIVS de *Offic. Med. dupl. Part. I. Cap. 5.* auctor suasorque est, ut non in praesentia aegri de statu morbi consilium incant.

ineant. Si vero confessum ante aegri lectum detrectare haud integrum sit, non censoria & dictatoria grauitate, sed modestia comite sententiam exponant, iuxta saluberrimum consilium doctissimi STRVVE, in Orat. de rara Medicorum practitorum concordia, Kilonii 1740. habita, p. 53. Huius dissensus Medicorum effectus sentit & illa artis nostrae pars, quae *Medicina forensis* vocatur. Sic enim fit, vt Medicorum renunciationes & decisiones, ob dissensum indubiis rationibus haud superstructum, iudicem conscientiosum reddant dubium; sicque ob eandem rationem iudicium Medicorum transire non potest in iudicatum. Vid. MASCARDVS de Probat. CARPZOVIUS Prax. Crimin. qu. 26.

3) *Medicorum ignorantia.* Licet enim ars diuina, nunc mortali illius vultu in nunquam periturum decorem conuerso, in tot scientiae medicae stadiis ac palaestris a docentibus excolatur, & a discipulis felici successu pertractari possit; tamen proh dolor! multi, ob praeposterum discendi ardorem, ob neglectam studii medici culturam, ob instrumentalium disciplinarum defectum, ob male moratam viuendi rationem & vitiorum contagia, ad illum scientiae medicae gradum pertingere non possunt, qui in Medico docto & rerum suarum satagente, requiritur; aut ad summum leuiter docti, aut fugitiue in scientia medica instructi sunt, vel scenicam docti Medici laruam induci, illotis, vt dicunt, manibus, in praxin inuolant. Qui fieri deinde aliter potest, quam vt inscii multis infortunis

B 2

aegros

aegros mactent, aut secundum Medico-Mastigis, PLINII, verba, *experimenta per mortes agant*. Sed missis huius commatis hominibus, pedem moveo ad aliud impedimentum, quod est

4) *experientiae medicae rationalis sufficientis defectus*, quem in iunioribus Medicis communiter ac-
cusant. Nullus inficior, quod veteranis Medicis prae iunioribus omnino praerogativa quaedam competat; sed dabunt aequo Iove iudicantes, experientiam non quidem annis metiendam esse. Certe! iuniores in praxi versantes, ob seculi felicitatem, animi dotibus, sufficienti scientia instructi, in observando seduli, in iudicando solertes, paucorum annorum accessione ea consequi possunt, quae in aliis, his deficientibus, multorum annorum accessio adferre nunquam valet. Attamen cum *multa*, secundum effatum Galenicum, *sint in praxi*, quae nec scribi, nec dici, nec lege iusti ratiocinii, nec lectione, nec auditione assequi possunt, sed experti tandem subsentiunt, animo vident; hinc omnino defectus sufficientis experientiae medicae inter impedimenta felicitis morborum curationis locum iure merito inuenit. Et ex hac ratione iuniores Medici, in praxeos exercitio versantes, id negotii praecipue sibi datum esse putent, ut tempestive in-
eant viam, qua ad experientiam medicam itur, quae eundem. Conf. WUCHERERI *Dissert. de experientia medica*.

5) *Medicorum ante aegri lectum multitudo & convocatio*. Damnum ex hac Medicorum multitudine

dine nascens comparet ex dissensu, qui ferme individuus consultationum medicarum comes est (vid. num. 2.), ita vt in Medicinae opprobrium fere iam cesserit. Sic enim seuerè satis in Medicos *Fannius STRADA*, de bell. Belg. *Non plura Medicorum dissidio funera, quam corruptae discordia ducum victoriae, numerantur.* Et OWENVS:

*Nunquam crede mihi a morbo curabitur aeger,
Si multis Medicis creditur vna febris.*

Et adhuc seuerius *Corn. AGRIPPA*, libr. de vanit. scientiar. qui de dissensu Medicorum, ex inuidia saepe oriundo, loquens, in haec erumpit verba: *Inuidentes aliis, vitam nostram spoliant alienis bonis.* Dissentiunt vero vel ratione morbi, vel ratione curationis. Scaturit non raro hic dissensus ex quorundam Medicorum arrogantia, quos in arte suffenos videmus, putantes, multos sibi inesse Aesculapios, Galenos, Helmontios. Si vero secundum artis dictamen libere sua pronunciet, laudabilius omnino est, quam si timide malum simulans, alterius sententiae minus probatae accedit. Vndecunque vero hic dissensus oriatur, non tantum arti auctoritatem demit, & per contentum efficaciam quoque suffurari videtur, sed etiam aegris notabile infert damnum, & eo magis, vbi, secundum TACITVM, libr. IV. *Annal. rebus turbatis discordia accedit.* Interim tamen, si cetera manent paria, hae consultationes & viles & necessariae sunt, praesertim in illustribus & altioris stemmatis personis, & in casibus

dubiis, spinosis, intricatis, fonticis, vt aeger hac etiam ratione malorum solatia expetat, secundum tritum illud: *Oculi plus vident, quam oculus.* Hinc spes est, fore, vt consociatis cum aliis consiliis, eo melius in statum aegri inquiratur, illeque, comite diuina gratia, vel subleuetur, vel ad salutem perducatur.

6) Sed erubescio ferme, his impedimentis aliud seculo nostro indignum subiuncturus. Aegre mihi persuadere possum, dari inter Philosophos, qui iure mericissimo, ob artis diuinitatem, *is odesi* audiunt, eiusmodi homines, qui *lucri aucupio morbum protrahunt.* *Quid de tali Medico iudicabis,* inquit TERTULLIANVS, libr. de resurrect. *qui nutriet morbum mora praesidii, Et periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosius, aut famosius curet?* Sed deploranda sunt talium aegrorum fata! Prostat biga *Dissertat.* iuridicarum, nempe BOEHMERI, *de poena sine crimine,* & HARTLEBII, *de crimine sine poena.* Num similis aut analogi quid in foro medico? Certe! tales miselli aegri luunt poenas sine crimine, siquidem sub tali prolongatione morbi aeger iusto diutius eiusdem supplicia ferre cogitur, infimulque maiori exponitur periculo: Cum enim perdifficile fit, talis generis remedium inuenire, quo mediante morbus in statu illo, quem nactus est, retineatur; hinc fit, vt vel succrescat, vel altiores agat radices, aut sanabilis in insanabilem conuertatur. E contrario in tales scelestos Medicos valet illud: *de crimine sine poena.* Nam impune faeui-

faciunt in aliorum viscera, licet non negandum, quod in ius vocati *L. Aquil. de damno dato* teneantur. Hoc quadrat etiam in tales Chirurros, qui scientes malitiose laesiones externas protrahunt, vid. *Excell. Dn. ALBERTI Commentat. in C. C. C. Art. CXXXIV. p. 31.* Me quidem non latet, quod & Medici & Chirurri non semper destinato consilio, scientes, volentes, & scelesto ausu morbos producant, sed vario modo ex coeca, licet vincibili ignorantia, talia peccata in aegrum committant, quod, & in quibusnam casibus fiat, pluribus recenset *Illustr. Dn. PRAESES, in Dissert. de prolongatione morborum ex culpa Medici atque Chirurri.* Tandem etiam referri adhuc possunt inter impedimenta felicitis morborum curationis, ratione Medici, *nimia huius timiditas, nimiaque temeritas*, cum noxis ex vtraque oriundis, de quibus conferri mereatur *Celeberr. HEISTERI Dissert. de Medico nimis timido.*

§. VI.

Vtius ergo nunc progrediendum mihi est ad adiumenta & impedimenta, quae se offerunt

II.) ratione aegri, & quidem

1) respectu aetatis. Supponitur hic, tanquam fundamentum, ardua illa doctrina physiologico-pathologica, *de differentia corporum & actionum.* Haec differentia iterum nititur structura solidorum, & inde pendente modificatione fluidorum, pro ratione aetatis, sexus & temperamenti differentibus.

Cum

Cum porro haec structura solidorum, sub modo dictis circumstantiis differens, sit peculiaris corporis status, quo homo ad sanitatis conseruationem vel aptior, vel ad certos morbos procliuior redditur, hinc se offerunt & adiuuenta & impedimenta, ratione

a) *aetatis infantilis.* Vbi prius notanda sunt *adiuuenta.* Singulare quidem in morbis infantum felicius curandis adiuuentum est illa infantum quasi *ἀνάδεια*, quod adfectuum & curarum seruitio vacui, remoras morbis curandis non iniiciant, prout hoc fufius demonstrat optimus morborum infantilium interpres, HARRISIVS, Tr. de morbis infant. quales quidem adulti perquam vario modo suppeditare solent. Interim his non obstantibus maior utique in iis impedimentorum frequentia est, horumque primum constituit ipsa *aetas.* Cum enim in infantia insignis sit *fibrarum mollities*, tener, latus, rarus & spongiosus corporis habitus, hinc ob deficientem partium tonum actus se- & excretorii impeditius succedunt, ipsi vero serius sanescunt. Proinde quoque, ob exquisitam *generis neruosi sensibilitatem*, motibus conuulsiuis & conuulsiuo-epilepticis admodum expositi sunt, quibus ita afflicti, optimis licet in subsidium vocatis remediis, ob allegatam rationem, facile vita tenelluli isti defunguntur. Accedit insuper, quod *eiulatus singultuosi*, qui crebrius intercurfant, morborum ipsis familiarium, praesertim capitis, curationem pariter retardent. Non minus quoque ad hanc morborum in-

fanti-

fantilium difficilem curationem symbolam suam confert *taedium*, quo haec iunior aetas capitur, intuitu *medicamentorum sumendorum*, cum hac ratione facile maiora illi ipsi capiant incrementa & tardius omnino ac difficilius dein profligari queant. Conf. Illustr. b. m. HOFFMANNI *Med. Syst. T. III. Sect. I. Cap. X.*

§. VII.

Proinde etiam occurrunt adiumenta & impedimenta

b) ratione *aetatis senilis*, vbi inter adiumenta quidem referri posset, quod illa vitae periodus, quae senium constituit, sit *σοφωτατος χρονός*. Sibi magis constant senes, observatur in illis animi tranquillitas & moderamen, adfectuum temperantia, *ἀπάθεια*, per rerum euentus & multiplicem experientiam acquisita; hinc certo utique respectu talis status animi pacatus, tranquillus, sedatus, feliciori morborum tractationi eximie patrocinator. Sed rari, ni rarissimi sunt eiusmodi senes, & numero totidem, quot Thebarum portae. Multo plura autem in hac aetate praesto sunt *impedimenta*. Cum enim in senectute adsit *fibrarum rigiditas*, tubulorum capillarium angustia, imo oclusio, pororum strictura, & deficiens partium solidarum robur, siue atonia, hinc non tantum non satis libera progressuris humoribus, & effluis, & refluxis, expeditur via, & actus se- & excretorii languent, sed & humoribus falso-sulphurea dyscrasia ingeneratur.

C

tur.

tur. Cum vero porro morbi motu absoluantur, motus autem in senibus, ob allegatam rationem, impeditus ac segnius succedant; praeterea in artis potestate positum non sit, talem per senii rationem inductum statum tollere, utique idcirco, confidentibus id ipsum Medicis, difficilius ob hanc mutatam solidorum structuram, ad sanitatem redeunt. Quare Illustr. b. m. HOFFMANNVS dicit: *Senes difficilius conualescere, ac facile succumbere, experientia constat, l. a.*

§. VIII.

Deinde etiam, 2) circa aegros varia notantur impedimenta & adiumenta respectu *sexus*. Foemininus enim *sexus*, ob mollem, spongiosum, porosum, laxum, succulentum corporis habitum, ob vasorum exilitatem, ob sanguinis menstrui fluxum, vel prima vice comparentem, vel anomalum, vel plane cessantem, ob grauiditatis statum, ob partus & puerperii labores, ob lactationis incommoda, multis morbis expositus est; & ob systema nervorum imbecillius, motuum ataxiis, moribus spasticis, spastico-convulsivis frequentius corripitur. Sed quam multa obiiciunt impedimenta Medicis, quominus earum afflictiones citiorem & feliciorem exitum nanciscantur? Certe! maxime inconstantes sunt; quid enim mutabilius foemina? inquietae, mox ad haec, aut, non stante sententia, ad alia abripiuntur, & a se ipsis deficiunt; ex leui occasione irascendi ansam capiunt, omnia crimen habent; porro medica-

dicamentorum abstemias; data medicamenta pro
lubitu immutant, aut surrogant alia; vel sunt taci-
turnae, suspicaces, & mendacibus mentis imagini-
bus & praefigurationibus colluctantur; otio difflu-
unt, quam multa saepe peccant gulae incitamentis;
quibus omnibus nihil aliud efficiunt, quam quod
Medico negotium faceffant, & feliciorum sanatio-
nis successum interturbent, impediunt.

§. IX.

Succedunt his 3) adiumenta & impedimenta
circa aegros occurrentia, ratione *temperamenti*.
Nihil me mouent controuersiae de sic dictis tempe-
ramentis acriter agitatae. Loquimur cum vulgo,
& sentimus cum eruditis. Sufficit, quod tempera-
menta, respectibus medicis, ad feliciorum sanatio-
nem quid conferre possint, multae vero circa illa
difficultates sese offerant, quae felicem curationis
successum premunt. Cum itaque sic dicti *sanguini*
nei in venis alant sanguinem satis fluxilem, facile
permeabilem, hinc itus & reditus humorum satis
liber & promptus, & se- & excretionum administra-
tio commode, constanter, promte contingit, atque
idcirco etiam tales sub eiusmodi regulari motuum
tenore facilius saepe & citius sanescunt. Interim
tamen variae etiam ex hoc statu nascuntur difficul-
tates, quae in morbidis huius temperamenti affi-
ctionibus curationi obsunt. Sic v. g. sanguinei,
morbis detenti, nimis timidi sunt, anxii haesitant,
hinc languide hostem materialem adgrediuntur,

eiusque excretionem tentant, imo saepe praematu-
re pacem desperant, qualia impedimenta etiam simi-
liter in *phlegmaticis* ut plurimum notantur.

§. X.

Praesente *choleric* temperamento, ob stri-
ctiorem corporis habitum & vegetiorem partium
tonum, motus intensior observatur, indeque omni-
um se- & excretionum vigor simul notatur. Interim
talia subiecta ob eandem quoque rationem satis fre-
quenter morbis colluctantia, motus praesertim to-
nici alterationibus impetuosis, tumultuariis, prae-
cipitantibus, exposita sunt, omnia festinate succe-
dunt, hincque parum absunt, quin in alterum ex-
tremum incidant, & spe salutis posita, succumbant.
Melancholicum denique *temperamentum* constituit
partium solidarum densitas, & ad motum tarditas;
hinc sub eo humores pigro lapsu per vasa deuo-
luuntur, consequenter etiam se- & excretionum suc-
cessus tardior observatur. Verum enim vero cum
hoc temperamentum, pro sui ratione, propositi te-
nax, diffidens, futuri cautum, in malorum praesaga,
nescio quae, pronum sit; hinc motibus semel
susceptis, damnosis, pertinaciter adhaerescit, hac-
que ratione feliciori morborum decursui grauem
saepe obicem ponit.

§. XI.

Cum vero varia adhuc supersint *impedimenta*,
quae ratione *aegri* in morbis feliciter curandis sese
offe-

offerunt, quae satis accommode, vt puto, ad temperamenta aegrorum, licet plus vel minus huic vel illi temperamento sint adsignanda, referri possunt, hinc in scenam nunc prodeat pudor, qui praesertim sexui amabiliori, rarius potiori, familiaris est, & quidem in casibus huic sexui propriis, qui matrimonii arcana, aut loca verecundiora concernunt, & vbi notabile tamen corpori damnum, vel vitae periculum imminet. Et sic in propatulo est iudicare, quo de pudore hic sermo fit. Sed vitiosus hic pudor est, de quo valet illud TERTULLIANI, *Libr. de Poenit. Qui in partibus verecundioribus corporis, inquietis, contracta vexatione conscientiam medentium vitant, cum erubescencia sua pereunt. Male pudicae hoc casu sunt. Hic non difficile est, occulto vulnere, & verecundo languori remedium ita quaerere, vt & suum pudorem tegant, & curantis reuerentiam custodiant, Chrysolog. Serm. 33.* Sed quam damnosa fit haec in celandis morbis verecundia, & feliciori morborum curationi praeiudiciosa, dici vix potest. Cum enim propter pudorem medicinae praesidia detrectent, illius certo dabunt poenas, quippe qui impedit, quo minus tempestiue malum indicent, quod mora deinde praefractius redditum, aut aegre extirpatur, aut insanabile redditur. Casus tragicos morborum ob pudorem male celatorum, vid. in Diff. Illustr. b. m. BAIERI, de pudore in curanda valetudine noxio.

§. XII.

Alterum horum impedimentorum constituit *diffidentia erga Medicum*. Quanta enim sit vis animi pathematum medica in corpus humanum, inter Medicos satis constat. Sicuti vero fiducia in Medicum & medicamenta nihil aliud est, quam spes de obtinendo bono firma, consequenter acquiescentiam animi inuoluit: Ita ex hac omnino varii salutares in corpus aegri dimanant effectus. Sic enim fit, ut aegri animus erigatur, & actionibus corporis vigor & alacritas accrescat. Motus tunc alacrius succedentes sanitatem maturant, & faciliori morborum profligationi eximie fauent. *Diffidentia* omnia habet contraria. Haec enim aegri animum tenet suspensum, motuum vigorem sufflaminat, praefocat, multum ad morbi augmentum contribuit, & haud mediocri impedimentum felicioris curationis constituit. Hinc mirari desinamus, quod iamiam GALENVS dixerit: *Fidem ac spem erga Medicum saepe plus efficere, quam ipsam cum Medico medicinam.* VI. Epidem. 4. Conf. G. W. WEDELII *Dissert. de officio aegrotantium*, it. DITMARI *Diss. de Confidentiae aegrotantis erga Medicum & medicinam necessitate eiusque mira efficacia*.

§. XIII.

Huc porro etiam spectat *individualis quorundam aegrorum morositas*. Quemadmodum enim haec praesertim altioris stemmatis personis, & ditionis fortis hominibus familiaris & quasi propria est; ita

ita ad hos potiore[m] dirigimus respectum. In fontes huius morositatis inquirentes, nulli dubitamus, quin saepe temperamenti ratio eandem secum ferat. Concurrunt tamen in huiusmodi subiectis adhuc plura, quae inter inprimis sunt summa sensibilitas, vel connata, vel sub bonorum affluentia aduentitia, pertinax morbi indoles, symptomatum concatenatio & vehementia, dolorum sensus, decumbendi necessitas, negotiorum interpellatio, & perpeffa forsitan bonorum iactura, mortis deprecatio & metus, praecedens lauta & opipara victitandi ratio cum praesenti misera decumbendi necessitate, & aliis huic connexis collata, obseruandi regiminis taedium, tacita, indignabunda suspicio, quod aut ob errores, aut fraudulentam, dolosam, quaesturiam Medici procrastinationem, non vero ob indolem ipsius morbi, lecto iusto diutius affigantur; immo porro illa persuasio, quam sibi induisse videntur, ac si ob dignitates naturae microcosmicae legibus, & reliqua hominum turba exempti, morbis, (vt subditis, famulis, domesticis,) & medicamentis, immo censoria & dictatoria quasi potestate, & velut sub poena praecclusi, Medico ipsi imperare possint, vt determinato temporis spatio a morbo immunes praestentur, de quibus idcirco dein recte dicitur: *Viuunt vt volunt, curantur vt iubent, moriuntur eheu! vt debent.* Conf. Excell. ALBERTI *Diss. de sanatione diuicium difficili.* Sed individui horum omnium comites sunt quam plurima impedimenta, obstacula, quae maxime sanitatis feliciter restau-

restaurandae maturationem adfigunt & impediunt. Sic morbus ipse non tantum protractior, rebellior, magis anomalicus redditur, sed & salubris remedium effectus aut imminuitur, aut plane praescinditur, imo sinistros edunt effectus, sicque porro, culpa comite, miseros in se praecipitant dies, & ceu morborum mancipia suae incontinentiae, indignationis, immorigerae, reluctantis indolis, luunt poenas, imo duplionis quasi poenam subeunt, prout fufius hoc demonstratum dedit celeberrimus STAHLIVS, *Diss. de morosis aegris prudentiam Medici fatigantibus & flagitantibus.*

§. XIV.

Plura quidem hic loci restant impedimenta, sed pagellarum harum angustia non permittit specialiore & fusiore pertractationem, hinc sufficiat, eorum saltem rubra allegasse. Sic inter huius census impedimenta iure adhuc connumerantur *v. g. impatientia aegri, inobedientia erga Medicum, pharmacomania, praesertim valetudinariorum, consuetudo aegrotandi, de qua Excell. ALBERTI Diss. de con- & insuetudine aegrotandi; porro peruersa imaginatio de morbis actu non praesentibus, de qua conf. Eiusd. Dissert. de Valetudinariis imaginariis; item morbi historia incompleta & circumstantiarum ad felicem curationem necessariorum omisso, siue dolo, siue incuria id fiat, de quo singulari impedimento docte agit G. W. WEDELIVS, in Diss. de officio aegrotantium, Sect. II. §. 1. seq. Ἰδιοσυγκρασία αἰγρο-
rum,*

*rum, de qua vid. SCHRADERI Diff. de Idiosyncras-
sis; ac tandem aegrorum, ob crimina perpetrata,
in carceribus detentio, quorum sanatio, ob prauam
malae mansionis, carceris nimirum, conditionem,
vel non, vel difficulter procedit, confirmante hoc
Excell. ALBERTI, in Commentat. in C. C. C. Art. XI.
p. 25. sq.*

§. XV.

Vtlerius ergo nunc deuoluar necesse est ad *ad-
iumenta & impedimenta felicitatis morborum curatio-
nis* quae IV.) notanda sunt respectu *vitae generis*.
Quod enim vitae genera tam a morbis praeferuare,
quam ad morbos procliuus reddere queant homi-
nes, inter Medicos satis notum est. *Vita laboriosa,*
nisi laboriosi suamet culpa illius beneficia perdant,
optimum conseruandae sanitatis praesidium est,
cum labor, secundum CELSUM, corpus firmet.
Sic enim constat, quod laboriosi rarius aegrotent,
& aegrotantes, ob firmum corporis habitum, faci-
lius sanescant. Dolenda idcirco merito sunt quo-
rundam opificum fata, cum per experientiam iam
constet, quod ex quibusdam artibus non exigua ma-
la suis artificibus eueniant. Duo autem sunt potis-
simum fontes, praeunte RAMAZZINI, Tr. de
morbis artif. & opific. ex quibus haec mala scaturi-
unt, quae deinde felicem morborum opificum cu-
rationem impediunt, nimirum primo *noxia mate-
riarum,* quarum frequens opifici vsus est, *indoles
& conditio;* deinde *status & positus corporis,* quem diu-

non

D

diu-

diutius seruant, & quo frequentissime in opere faciundo vtuntur. Cum vero haec & morbi opificum sese respiciant vt causa & effectus, effectus autem non cessent, nisi causis sublati, hinc in procliui est cuius iudicare, qui mali comites haereant curandis opificum morbis. Vt mentem clarius exponamus, exemplo sit *opificium* illud, quod ex *argilla opera sua format*. Hi figuli, Saturnum vstum molendo, terras argillaceas dependo, tetras, quas spirant exhalationes, ore excipiunt, quae deinde noxias suas qualitates pulmonibus adfricando, similes ipsis morbos ingenerant. Cum itaque hocce opificium, ob allegatas aliasque causas, sanitatis tam impatiens sit, hinc in nullo alio illius reparandae spes reponenda, quam in causarum remotione. Sed hoc idem est, ac opificii desertionem suadere, consequenter ea subtrahere velle, vnde vitam sibi reperiunt. Et sic facile liquet, qualia in curando sat grauia sese offerant impedimenta; optima enim eiusmodi morbi eludunt remedia, nisi causae simul remoueantur. Iisdem Medico impedimentis consistendum quoque est in curandis *metallicolarum* morbis. Tantus opificii huius squalor est, vt inter poenas corporis adfectiuas olim damnatio in metallum relata fuerit, *l. si in metallum, 3. ff. de his, quae non pro non script. l. in metallum 12. ff. de iur. fisc.* Dum enim effluuia illa metallica, arsenicalia, mercurialia, sulphurea, saturnina, pulmonibus excipiunt, non potest non fieri, quin pessime in corpus consulant. Horum igitur curationes Medicis pariter non

non solum multum faceffunt negotii, sed etiam omnia irrita sunt, causis nondum sublatiſ. Cum vero opificium ipſum cauſam horum tragicorum effectuum proximam conſtituat; hinc eo remoto, ſibi ea praeſcripiunt, quae in tutelam ipſis ſunt neceſſaria. Taceo, quod conſilia, praeſeruationis ſcopo iis, vt & lapicidiſ, ſtatuariis, data, vt panniculum ante os & nares praetendant, quo via illabendi alienis praeccludatur, ſecure reſpuant, moleſtiam illius praeuertendo.

§. XVI.

Quod ad *poſituram corporis* attinet, eadem obſticiunt *impedimenta opifices ſedentarii*, ſive *ſellularii*, qui ſedendo opus ſuum moliuntur, v.g. *ſutores*, *ſartores*, alii. Etenim ſub iugi illa, quae ſit praecurſo corpore, ſeſſione, viſcera infimi abdominis, eaque nobiliora, vt ventriculus, huicque ſubſtratum pancreas, inteſtina, porro hepar, vaſa cum V.P. connexa, compreſſionem patiuntur, ita vt non tantum circulaſio ſanguinis in iis remoretur, ſed & actio illarum laedatur, cum infecuturis ſanitati contrariis effectibus; hinc etiam allata medela, ni cauſae ſubmoueantur, parum mouet. Multas porro cruceſ figunt Medicis *litteratorum* morbi. Eos autem putamus litteratos, qui fere immoriuntur ſtudiis, & impalleſcunt chartis, qui lucubrationum fuliginem bibunt, & vſque in concubiam noctem ſtudia protrahunt, qui fixis meditationibus nimium indulgent, & continuis mentis laboribus

tempus consumunt. Sed hoc vitae genere corporis robur limant, varios morbos, praesertim capitis, ut sunt eiusdem debilitas, vertiginosae afflictiones, hemicraniae, ophthalmiae, catarrhi capitis, item morbos ventriculi, sibi accersunt, ructibus, flatibus diuexantur, alui officium segne redditur, molimina hypochondriaca, ipsum malum hypochondriacum, experiuntur, & id genus alia. Instant queruli, Medicorum auxilia poscentes. Quid medelae? moderamen. Sed chorda oberrant eadem. Hinc fit, ut magis magisque vigorem sanitatis infringant, & Medicis tot impedimenta felicitationis obiciant, quot laborant morbis. Lustrandi equidem adhuc essent *morbi aulicorum, militum*, in castris praesertim, *vitae sedentariae addictorum, aërophoborum*, &c. sed supersunt adhuc alia, quae, ut illa iam mittamus, postulant.

§. XVII.

Progredior ergo nunc ad *adiumenta & impedimenta*, quae sese offerunt

III.) *ratione ipsorum morborum*. Et quidem
 1) in *morbis acutis*. Sicuti autem quoad *adiumenta* in genere notandum, quod rationum medicarum & experientiae calculis, omnes morbi, quae expugnabiles adhuc, id indolis sint, ut felicius, certius, citius sanationem admittant, si in subiecta incidant, quae adhuc naturae viribus pollent: ita etiam acuti morbi in talibus subiectis felicius curantur. Natura enim, ceu optima morborum medicatrix,

catrrix, autocratia sua, robore ac viribus utens, sub debito motuum tenore, materiam morbificam alacrius adgreditur, subiugat, & corpore exulem reddit. Comprobatur hoc exemplo plebeiorum, gregariae fortis hominum, itemque delirantium, in quibus morbi acuti, proprio naturae vigore adiuti, magis superabiles plerumque redduntur, ita ut ut plurimum succumbendi periculo liberi conualescant.

§. XVIII.

Cum vero in hisce & aliis morbis, qui in horum censum veniunt, vita ob insigne, quod minatur, periculum, in praecipitio versetur, certe! magis adhuc fontici & perniciosi euadunt, & a decursu alias ipsis consueto magis deflectunt, si subiecta adoriuntur, quae vel a natiuitate debilia sunt, vel ob causas aduentitias corpus caussarium trahunt, quae plethorica sunt, sanguine turgent, & spissos humores in venis alunt, quae cachectici aut cacochymici corporis circumferunt signa, sensibilia sunt & patheticis commotionibus, ut irae, moerori, praesertim diuturniori, admodum indulgent; accedit, quod vel leues commissi errores, praesertim si per aliquot dies, ob symptomatum vehementiam, vires fere emortuae sint, hosce morbos periculosiores reddere soleant. Sed dolendum omnino, quod haec omnia medenti grauia semper obiciant *impedimenta*, quo minus horum morborum difficultates eluctari queat.

§. XIX.

Non minoris quoque momenti sunt adiuven-
 ta & impedimenta curationis, quae occurrunt
 in *morbis chronicis*. Certum quidem est,
 omnibus Practicis id vltro largientibus, quod acuti
 morbi ope solius naturae saepius perfanentur, ita
 vt Medicus spectatorem, licet non otiosum, se prae-
 bere possit; sed vincendis pathematibus chronicis
 natura haud compar est, quippe quae exquisitum
 artis ministerium, opitulante licet natura, exposcunt.
 Cum itaque artis potissimum ministerio morbi
 chronici vincantur, vtique *adiumenta* aliqua in iis feli-
 cius curandis adesse debent. Notatu perquam digna
 sunt CELSI verba: *In longis morbis, iniquentis, &*
deliberationi, & mutationi remediorum tempus pa-
tet. Libr. III. cap. 1. Cum enim morbi chronici non
 praecipitis, sed tardioris decursus sint, hinc meden-
 ti deliberandi tempus concedunt, vt, omnibus pen-
 sicutius excussis, eo melius methodum morbo
 debellando accommodam inire possit. Inter haec
adiumenta connumeratur, si inter *initia* Medicus
accesserit, secundum CELSUM, *loc. cit.* Illo enim
 tempore morbus tam altas radices, mora, nondum
 egit, vires nondum exhaustae, eutonia partium
 nondum penitus destructa est, adeoque tunc eius-
 modi morbi magis medicationi obsequiosi & ex-
 pugnabiles sunt. Singulare etiam *adiumentum* est,
 quod, Practicorum testimonio, morbi chronici aesti-
 uis mensibus mitiorem induant indolem, vel indu-
 cias agant, ita vt iis detenti sanitatem interdum ma-
 curent.

turent. Cum itaque sub hoc tempore Medicus morbum tractabiliorem & placabiliorem inueniat, id eo magis agat, vt illum frangere sciat. Sed eo plura sese offerunt *impedimenta*, quae inter primicerium ducit *tardior Medici accessio*. Cum enim id indolis sint, vt gliscentes intra viscera serpent, & lentis adolescendo incrementis viscerum laesiones minentur, aut in actuales horum laesiones iam iam abierint, tunc magis rebelles & refractarii sunt, longiores moras nectunt, & optima eludunt remedia. Quanta vero sub tali medendi processu Medico impedimenta obuenant, vix dici potest. Magnum porro horum morborum feliciter expugnandorum praesidium constituit exactissima viuendi ratio & prudens selectus motionum corporis, aegri & morbi circumstantiis conuenientium, prout id fusius demonstrauit *Illustr. Dn. PRAESES*, in *Diff. de speciebus quibusdam motus corporis certis morbis accommodandis*. Sed quam grauer in multorum aegrorum his morbis laborantium auribus haec omnia sonant! Quid inde? noua impedimenta. Nonne Medicos consilii poeniteat? cum aegri, malis ipforum rebus, ea repudient.

§. XX.

Uterius quoque notanda sunt adiumenta & impedimenta singularia

3) in *morbis haereditariis*. Cum enim tales morbi, a congenito solidorum vitio inducti, quorum

rum numerus non adeo exiguus est, curatu admodum difficiles, imo interdum ferme inexpugnabiles sint, multum omnino negotii facessunt medentibus, iisque ob eorum indomitam indolem & ferreum quasi frontem, tam grauia obiiciunt impedimenta, vt merito *Medicorum supplicia* audire possint. Vid. *Dissert. HOFFMANNI, de affectibus haereditariis*, & *STAHLII Diss. de haereditaria dispositione*. Inter optima autem eos adhuc leuandi praesidia recensetur diaetae exacta ratio. Ast, hac neglecta, quod non raro fit, adhuc magis ingrauescunt, noua hinc & grauiora Medici *impedimenta*, quibuscum colluctantur, certissime inueniunt.

§. XXI.

Similem quoque attentionem merentur adiumenta & impedimenta quae occurrunt
 4) in *morbis epidemicis*. Si in vlllo morbo, certe! in illis, qui secundum veteres *δένον τι* in se continent, epidemicis nimirum, Medicis tam varia occurrunt impedimenta, vt vix superari posse interdum videantur. Cum enim, pro diuersissima anni temporum constitutione epidemica, diuersissima incedant facie, vel oculatissimis Practicis imponere interdum solent. Sic etiam pro varia epidemica aëris constitutione a se inuicem differunt mox inuasionis modo, mox grauioribus, mox mitioribus, imo plane insolitis interdum incedunt symptomatibus; differunt porro pro aëris cuius loco proprii constitutione,

tione, pro differente locorum situ; ipsa causa ho-
 rum morborum per temporum vices, indole, po-
 tentia ac virtute differt; differunt denique eventu,
 dum mox plures Libitinae sacrificant, mox plures
 orci faucibus eripiuntur. Accedit, quod tam falla-
 cis & mendacis interdum indolis sint, aliorum mor-
 borum symptomata, alios morbos mentiendo, vt
 vel sagacissimum Medicorum dubium reddant.
 Hinc factum est, vt Medici horum morborum in-
 timius pernoscendorum fuerint obseruantissimi.
 Eminent inter hos solertissimus Obseruator, SY-
 DENHAM, (qui hoc etiam nomine optime de
 Medicorum republica meruit,) vti ex illius Operi-
 bus satis manifesto constat. *Adiuvento* quidem
 esse potest, si subiecta iis corripiantur, quae minus
 plethorica, quae ceteroquin valent, in quibus ad-
 huc actionum vigor est, animus erectus, tunc fa-
 cilis omnia succedunt. Si vero subiecta inuadunt,
 quae succiplena, cum sanguine spisso, impuro, quae
 sunt cachectica, cacochymica, a praegressis mor-
 bis, vel aliis causis, viribus exhausta, meticulosa,
 minus perspirabilia; si praeterea omnes modo alle-
 gatae hisce morbis adiunctae circumstantiae, ea-
 rumque ominosi, quos in corpus vibrant, effectus,
 curatius ponderentur, non potest non fieri, quin
 exiguam spem, multa vero pericula relinquunt, &
 Medicum insuper multis implicent difficultatibus,
 quo minus effectu sperato potiri queat.

E

§. XXII.

§. XXII.

Succedunt porro §) adiumenta & impedimenta in *febris intermittentibus*. Cum enim, secundum Pathologiam, febres etiam intermittentes in censum morborum certis anni temporibus familiarium veniant, hinc si *tertianae*, quae alias vernali tempore solenniores sunt, in illud quoque incidant, mitioris plerumque indolis sunt, citius exitum sortiuntur, & Medico minus negotium faceffunt. Contra vero autumnales & hiemales tertianae semper fere contumaciores sunt; quemadmodum etiam si tertiana ex intermittente in continuam, aut duplicem imo triplicem transit, quod aegri culpa non quidem raro fieri solet, pertinacissimae sunt indolis, & medenti tunc obiiciunt impedimenta. Sic quoque res sese habet cum *quartana*. Haec enim contumacissima alias febris, si in aestatem, aut corpus iuvenile viribus pollens, incidit, mitius se gerit, imo circa tempus solstitii aestivi communiter discedit. Hae circumstantiae Medicum *evangelus* admonent, & curationem magis explicitam & expeditam reddunt. Si vero endemia est, ut in Westphalia, Pomerania, & regionibus ad boream accedentibus, ubi durioribus, crudioribus cibis vescuntur; si porro incidit in sedentariae vitae addictos, aut subiecta, viscerum, ut hepatis, pancreatis, lienis, male affectorum, sanguine crasso, tardo facta, pathetice commotionibus agitata, ob male moratam vitae rationem debilia, aetate infantes medicamentorum adsumtionem detrectantes, si denique in continuam transi-

transferit, tunc longiores moras trahendo, multis medentem impedimentis felicioris expugnationis obruit.

§. XXIII.

Uterius quoque 6) huc pertinent adiumenta & impedimenta in *morborum complicatione* occurrentia. Secundum Pathologiam inprimis huc spectant *febres compositae*, ubi complicatur febris intermittens cum continua, vel febris continua cum continente; sic quoque huc referendae sunt febres intermittentes duplicatae; vel si complicantur febres exanthematicae cum alia exanthematica, v. g. purpura cum variolis, vel purpura alba cum petechiis, vid. LENTILII *Miscell. med. pract. p. 15.* vel morbilli cum purpura alba & peripneumonia, de quibus vid. COSCHWITZII *Diff. de morbillis cum purpura alba & peripneumonia complicatis*; vel morbi epidemii cum endemiis, vel porro podagra cum arthritide, vel malum ischiadicum cum mictu cruento, malum hystericum cum malo hypochondriaco, &c. Certe! tam mire nonnunquam morbi complicantur, vt, secundum beati HOFFMANNI verba, *saepenumero hypochondriaco malo iam antea affectus, aut cachexiae implicitus, scorbutica labe infectus, debilitate capitis afflictus, haemoptysin passus, phthisi emaciatus, haemorrhoidum minus legitimo successu laborans, calculo excruciatas, vel etiam podagrae doloribus detentus, alium adhuc dirum morbum, siue acutum, siue chronicum, nanciscatur,*

Med. syst. Tom. III. Sect. I. Cap. II. Sed hic labor, hoc opus. Vt multa alia praeteream, vnicum saltem hoc referre placet, quod tales infelices morborum concursus Medico quam maxime negotium facebant. Hi morbi tunc longe rebelliores, longe implacabiliores euadunt, & simplicem methodum, & remedia alias morbo accommodatissima respunt, eludunt; nunquam periculo vacant, mali omnis symptomatibus stipantur, decursum obtinent maxime confusum, intricatum; imo tam immorigeri sunt, vt difficulter penitus extirpari possint, sed semper aliquid post se relinquunt, quod sanitati insidias struit, semper morbosus quid remanet, quod verminatur. Insimul patet, quanta sint impedimenta, & quam multa, quae Medico superanda hic in occursum veniunt. *Conf. MAGIRVS de morbis complicatis.*

§. XXIV.

Non incongruum erit, hic etiam *morborum in grauidis complicatorum* adhuc mentionem facere. Foeminae morbis saepe complicatis, vbi veterum gerunt, adfiguntur. Nunc vero saepe fieri notum est, & re vera contingit, vt in tali complicato statu hoc vel illud medicamentum grauidae conducat, foetus autem retentioni nocere possit. Sed hoc non nisi per accidens euenire valet. Minime enim adferi potest, talem dari in grauidis morbum, cuius remedium adaequatum necessario vel abortum, vel abortum simul inferret. Fieri autem potest

potest per accidens, si medicamentum, non qua tale, in grauida quasdam dispositiones, licet omni adhibita Medici circumspectione, inueniat, quae medicamento paululum adiutae, irritatae, abortum vel abortum inferre valent, prout hoc pluribus demonstratum dedit *Illustr. Dn. PRAESES*, in Dissert. qua quaestio: *An dentur remedia abortum simpliciter promouentia? in partem negatiuam resoluitur.* Interim tamen Medicus in hoc spinoso negotio totus sit in eo, ne imperitia sinistro effectui anam subministret. Licet enim non dolose fiat, tamen culpose, cum imperitia culpae adnumeretur, secundum *L. 132. ff. de R. I.* Si vero praeter omnem spem & intentionem abortus sequatur, pro Medicis illud *CARANZAE de part. nat.* esse potest: *A poenis abortus* (quae *L. Diuus ff. de var. & extraord. crim. L. Cicero ff. de poen. L. si mulierem ff. ad L. Cornel. de ficar. L. si quis necandi Cap. de ficar. continentur) eximendi videntur Medici & obstetrices, qui grauidae mulieris saluti consulentes, abortioni causam dedere. Quod tamen aliis *ICTIS* diiudicandum relinquimus.*

§. XXV.

His porro adhuc subiungenda sunt adiumenta & impedimenta curationis, quae occurrunt
 7) in *morbis occultis*. Mihi hic loci paucula de morbis occultis & incognitis explicaturo, non quidem sermo est de iis, quibus plurimi morborum, ratione causarum, indolis, euentus, incogniti sunt,

qui nimirum temerario ausu, Apolline licet & Aesculapio ringentibus & indignantibus, quibuslibet morbis curandis manus suas illotas admouent; sed de doctis & experientissimis Medicis. Sic enim factum est, ut vel celeberrimi Medici interdum a morbo, ipsius sede & causa, coniectura longe aberrauerint, cum tamen postmodum cruentatae manus eorum, qui secundo corpora, causas valetudinum oculata fide recognoscere studuerunt, vel concreta polyposa in cordis thalamis, vel vasorum truncis, vel abscessus mesenterii, vel calculosas concreciones in cystide, vel rupturam vasorum sanguineorum, lymphaticorum, tumores, indurationes glandularum detegerint, de quibus vid. passim BONETI *Sepulcr. anatomic.* Et maioris illustrationis gratia liceat mihi quorundam huc spectantium casuum, ex *Observatoribus* depromptorum, mentionem iniicere. Sic latuerunt interdum vel hydropes internarum partium, ut hydrops cerebri, notante PLATERO, *Obs. Cent. 3. p. 30.* hydrops pericardii, teste HILDANO, *Obs. chirurg. Cent. I. obs. 43.* vel notabilis concretio pericardii cum corde, pulmonum cum costis, pleura, diaphragmate, causa dyspnoeae inexpugnabilis, iuxta *Act. Hassn. Vol. II. obs. 21.* vel polypi, ut polypus cordis, de quo vid. *A. N. C. Dec. III. Ann. 2. obs. 18.* venae cauae, referente BLEGNY *Zodiac. Gall. 1680. M. Iun. obs. 16.* arteriae pulmonalis, iuxta observationem ZACVTI LVSITANI, *Med. Princ. Histor. Lib. II. histor. 12.* plura autem vid. in *Excell. ALBERTI Diff. de morbis*

bis occultis; vel venena occulta, lenta, venena ad terminum, ob quem scelestissimum aufum inprimis innotuit *Domina de VOISIN*, vid. *Chambre de poison, Lutet. Paris. ab an. 1678-1681.* & id genus alia. In hisce omnibus Oedipo coniectore opus est, & Delio natatore. Aeger ipse, quid sentiat, exactius designare haud valet. Medicus sine duce & luce errat, ob latentem morbi sedem & indolem. Instat tamen aeger, status sui pertaesus, auxilium querulus poscens. Et licet generalior medendi ratio commodi & leuaminis quid adferre possit, tamen rem non exhaurit. Taceo, quod medicamentorum, interne exhibitorum, vires eiusmodi noxis materialibus delitescensibus corrigendis, abstergendis, expellendis haud pares sint, sed vt manus chirurgica, pro re nata, in subsidium vocetur, saepe necesse sit. Facile autem inde cuilibet adparet, quam impedimentorum & difficultatum plena sint omnia. Huic numero subnectimus adhuc ex Medicina forensi *causas* non quidem occultas, quippe quas corpus delicti satis manifestas sistit, sed *dubias*. Exemplo sint vulnera de lethaliitate dubia. Quas cruces figunt Medicis eiusmodi vulnera in renunciationibus & decisionibus suis medicis? Cum praeterea ex iure constet, quod secundum *L. Cornel. de sicar.* vulnerans poenam ordinariam non subeat, nisi prius de lethaliitate vulneris constet. Plura non addo. *Conf. Excell. ALBERTI Iurisprud. med. Tom. I. Cap. 14.* itemque *Eiusd. Commentat. in C.C.C. Art. CXXXVII. p. 326. sq.* Videfis etiam *WEDELII Diff. de efficacia*

cia dierum criticorum in vulneribus de lethalitate dubiis.

§. XXVI.

Pertractanda adhuc essent impedimenta, quae Medico in *morbis immaterialibus*, seu ex imaginatione prouenientibus, in *corruptis, habitualibus, incongruis*; item in *curationis ob impatientiam aegri acceleratione*, nec non *ob peruersas morborum curationes*, & tandem in *morbis quibusdam chirurgice tractandis*, v. g. *cancro, ulceribus*, &c. obiiiciuntur: Cum vero in antecedentibus passim commemorata lucis quid adfundere his possint, hinc transeo ad adiumenta & impedimenta felicitis morborum curationis, quae

IV.) *ratione medicamentorum* occurrunt. Equidem mihi, de impedimentis felicitis morborum curationis hoc ipso respectu conquerenti, vapulare, aut iocum, aut bilem mouere videor. Instru&issimus est, inquit, instrumentorum medicatorum apparatus. Tot profligandorum morborum praesidia sunt, quot morbi; imo medicamentorum numerus morborum numerum mirum quantum superat; vni morbo vel centum medicamenta opponi possunt. Idem esset, ac si quis fame se periturum credat, mille ciborum generibus circumstantibus. Sed praecipiti suffragio me non condemnes. Oportandum foret, vt tam certus sit in profligandis morbis medicamentorum effectus, quam certo semper explendae fami apti sunt cibi, si etiam sit cum concha salis

falis panis. His non obstantibus dantur omnino adiumenta, ad quae pertractanda me nunc accingo. Pertinet autem huc

1) *instruētissimus medicamentorum adparatus*, & *παροπλία* medica, qua seculum nostrum superbit. Non iuuat nunc adire Graeciam, & descriptionem remediorum in columnis, tabulis & parietibus templorum legere; supersedere possumus aegrorum in triuijs & foro expositione, vt ex transeuntibus remedia discerent. Constitutae sunt legibus Principum Officinae publicae, certis iuribus ac priuilegijs munitae (vid. THOMASII *Diff. de iure circa pharmacopol. ciuitatum*), ceu tot omnis generis medicamentorum promptuaria. Et cum olim Medici ipsi Pharmacauticen exercuerint, certe! ex hac etiam ratione nulla vrget necessitas, vt iure postliminii illud, quod iis subtractum, repetant, vid. BOHNIVS *de offic. Med. dupl.* Sed quid iuuaret tantus medicamentorum adparatus? Hinc ad alterum accedo adiumentum, quod est

2) *intimior medicamentorum cognitio*. Et haec iure merito inter seculi nostri illustris beneficia est recensenda. Cum medicamenta sint sanitatis humanae instrumenta, & rite vsurpata ceu manus Dei respicienda; hinc Medici id negotij sibi datum esse recte putant, nosse artis suae instrumenta. Idcirco etiam defudarunt, defudant in principijs medicamentorum constitutiuis indagandis, extricandis, explicandis; quaenam sit eorum actio in corpus humanum, eorumue modus operandi; quasnam habeant

F

vires

nsm

vires infitas, qualesue in compositione; qualis sit porro eorum habitus ad indiuidua; quales edant effectus, & pro differentia subiectorum, morborum, aliarumque circumstantiarum differentes. Hac scientia instructi, ex πανοπισησ hac medica depromere possunt quae cuius morbo commodant, & qualia sint prudenter seligenda, pro morbi, indiuidui, temporis, & aliarum circumstantiarum ratione.

§. XXVII.

Cum vero nihil in humanis ab omni parte beaurum, nihil, quod non sua pedissequa habeat incommoda; hinc eadem haec adiumenta conuerti quoque possunt in *impedimenta*, quae inter sunt

1) eadem ipsa *ingens medicamentorum multitudo* & farrago, & cum hac coniuncta *ignorantia* eorum. Officinis nostratibus, earumque sic dictis Dispensatoriis, vtor in testes huius multitudinis. Ipsi & summi Medici de hac multitudine conqueruntur, quare Illustr. b. m. HOFFMANNVS inter alia haec habet, quod immensa sit moles & farrago remediorum, quibus ars salutaris referta, & tantum non oppressa sit, quod illis nostro tempore pharmacopolia referta & plane onusta sint, *Med. syst. T. III. Sect. II. Cap. III. §. II.* Sub tali ergo stupenda multitudine fit, vt principia, vires & effectus eorum, cum agendi modo, in tot differentibus naturis, morbis, cognosci haud possint. Et sane impossibile est, vt vnus hominis vita tanti numeri medicamentis indagandis vnquam sufficiat. Aliud dein ex eadem medicamen-

mentorū multitudinē nascens impedimentum, est
 2) *defectus medicamentorum expertae virtutis.*
 Sicque palam est, quanta & quam multa impedimen-
 ta exinde in felicem morborum curationem redun-
 dent.

§. XXVIII.

Numerum autem horum vltcrius auget

3) *dubius medicamentorum effectus.* Certum imo
 certissimum est, omnipotentem rerum Creatorem
 iis etiam corporibus, quae in medicamenta parantur,
 certas vires certosque effectus ingenuisse. Quod
 vero saepe medicamentorum effectus dubii sint, imo
 contrarii interdum, euenit inde, quod medicamentis,
 pro lubitu ferme fingendi & refingendi quaecun-
 que, hos vel illos effectus affingant. In cuius rei
 probationem produco laudes medicamentorum fi-
 ctas, easque innumeras, quae in tam multorum Pra-
 cticorum, Botanicorum, Chymicorum libris legun-
 tur, quae tamen millies curantis spem frustrantur.
 Deinde falsa illa persuasio, quod medicamentorum
 virtutes sint absolutae. Cum enim corporum actio
 & reactio eorum agendi potentiam & effectus miri-
 fice modificetur; hinc etiam medicamenta, ad tam
 diuersissima subiecta, ad causas morbificas, easque
 tam varias, & innumeras alias causas reagentes rela-
 ta, mutationem subeunt, ita vt quadrent huc PECH-
 LINI verba: *Aliquando, inquit, in Medicina eue-
 niunt, quae euenire nec posse, nec debere, iuratus crede-
 res, adeo aliena illa sunt cum a scopo Medici, tum me-
 dicaminis effectū. Nunc etiam quae speras, & fingis*

animo futura, non eueniunt, & quum eueniunt, aliter quam oportet. Accedit, quod incertum & dubium edant effectum, ob iustae praeparationis neglectum, vtentis errores, & sinistram medentis adplicationem. *Conf. RIVINI Diss. de medicamentorum dubio effectu.* Inter haec impedimenta merito etiam locum inuenit

4) *frequens medicamentorum mutatio.* Culpan-
 dus medentium mos est, quod praesciscine dixerim, si
 non statim medicamentorum effectus in sensus incur-
 rant, aut curatio statim ex voto succedat, quod ad alia
 tunc delabantur, noua condant, nouis inhient, quae
 mendax fama circumfert, mox iterum consilium
 mutant, & rursus ad alia conuertantur, rapiantur.
 Sed non leue impedimentum felicitis morborum cu-
 rationis haec crebra medicamentorum mutatio obii-
 cit. *Nihil aequae, dicit iam SENECA, Epist. 2. sana-
 tionem impedit, quam remediorum crebra mutatio.*
 Cum enim medicamentorum effectus motu absol-
 uantur, ad effectuum productionem autem certa
 motuum quantitas requiratur, quae certo tempore
 absoluitur, hinc medens anticipando hunc termi-
 num, nihil certi de medicamentorum viribus & ef-
 ficacia statuere potest, nec cui illorum effectus in ac-
 ceptis ferendus. Sic dubius haerens, mox haec,
 mox illa moliens, aliter fieri haud potest, quin felici
 morbi curationi remorae iniiciantur.

§. XXIX.

Accedit his 5) *vulgarium & simplicium con-
 tentus.*

temus. Hic praesertim honoratoris, ditioris & altioris stemmatis personis perquam familiaris est. Sicuti vero eadem naturae microcosmicae leges in diuitibus & summo loco natis, quae in plebeiorum natura sancitae sunt: ita nec respectum personarum habent medicamenta, nec secundum dignitates ordinanda; aut, iuxta LVCRETIVM, putemus, calidas febres citius decedere corpore, si in textilibus picturis & ostro rubenti iactarit, quam si in plebeia veste cubandum? Iam olim, uti ex Historia Medicinae constat, praxis medica incredibile damnum passa est a simplicium supino neglectu, & hodie adhuc tale patitur. Spretis vero vulgaribus, quae tamen aequalis, vel maioris virtutis sunt, inhiant impetuose, anxie, pretiosis, splendidis, & quae in arcanis premuntur; imo insufficientem sui curam esse putant, nisi eorum mensae rarioribus medicamentis luxuri-ent. Et sic non nisi pretiose sanari desiderant. Si etiam vulgaria fortan arrideant, tamen operosum, splendidum parandi & offerendi modum adfectant. Sed cum tanto impetu in splendorum & pretiosorum medicamentorum usum ferantur, spes adfulget, ut ob confidentiam speratum eorum effectum experiantur. Tantum abest, ut putatitia illa confidentia, ut plerumque esse solet, ad feliciorum curationem aliquid contribuat, aut extraordinariam opem spondeat, ut potius talia medicamenta speciosa curationis successum inturbent, cum morbo & circumstantiis individualibus minus respondeant. Et sic etiam hac ratione diuites in tormenta sibi con-

uertunt diuitias suas. Et cum aliis feliciores, sani pariter ac aegri, esse possint, reapse sunt miserrimi.

§. XXX.

Sed in praeteritis relinquendus non est

6) *abusus medicamentorum domesticorum.* Confidenter, experientia edoctus, Illustr. b. m. HOFFMANNVS, in *Diss. de praestantia remediorum domesticorum, §. I.* domestica viribus, vsu atque vtilitate varia composita pretiosa, & magno labore conquisita arcana chymica, longissime antecellere, inque sanando longe certiolem & tutiolem efficaciam illis promittere, adserit. Ipse HIPPOCRATES domesticorum vsu non reprobu iudicauit: *Ne pigeat, inquiens, ex plebeis sciscitari, si quid ad curationem vtile sit, Libr. de Praeception.* Et omnes Medici hisce summatibus in Medicina Viris calculum suum adiiicient, quod remedia domestica, qua rite & dextre vsurpata, sua laude & vsu non defraudanda sint. Sed quo rarior dexter ipsorum vsus est, eo frequentiores sunt iis praepostere vtentium noxae. Non vacat hic de curationis dilatione, qui mos apud vilioris praesertim fortis homines obtinet, verba facere, quando spontaneam, vt putant, viribus suis quasi ferreis fisci, curationem expectando, primam illius accessionem negligendo, illi causam praebent, vt aliores radices agat, sanationi aegrius obediat, longiusque, symptomatibus grauioribus pedissequis, excurrat. Sed hoc tantum vrgeo, quod praeposterus, intemptiuus, sinister domesticorum vsus, multis saepe

faepe infortuniis, tam ratione progressus, quam euentus morbi, hosce misellos mactare soleat. Re-
 censione illorum superfedeo, cum beatus HOFF-
 MANNVS, in *Dissert. de noxis ex remediis domesticis incongrue adplicatis*, mihi hac in parte otium fece-
 rit; *conf. etiam Excell. ALBERTI Diss. de cura per domestica.*

§. XXXI.

Ast vterius iam vela non pandere, sed contra-
 here potius conuenit; hinc descendamus ad *adiumen-
 ta & impedimenta felicitatis morborum curationis*, qua
 fieri potest breuitate, pertractanda

V.) *ratione diaetae & regiminis.* Insignis iam-
 iam in retro-annis diaetae constitit honos. *Diuus
 COVS* haec praeclare habet: *Victus rationem negli-
 gere, vel perspectam non habere, calamitatis plena res
 est, 6. Epidem. Sect. VIII. §. 48.* GALENVS non du-
 bitat, *conuenientem & appropriatum victum inter cu-
 randorum morborum instrumenta reponere.* Imo,
 quaedam Medicorum Secta olim a *diaeta* nomen ac-
 cepit, qui *Diaetetici* audiebant, ita vt per plurima
 secula nominatissimi in ea vigerint, & qui adferere
 contendebant, quod solis victus auxiliis omnes mor-
 bi sanari possint. Et quod hodierni Medici, vnani-
 mi consensu, diaetam inter magna morborum felici-
 cius curandorum praesidia, adiuuenta reponant, vel
 primoribus labris medicinam degustantibus notissi-
 mum est. Et inter rationes huius adfert, missis ali-
 is, haec triumphat, quod diaetetica naturae sint ami-
 ca,

ca, conuenientissima, & placido in corpus agendi modo, motibus naturae in vincendo morbo administris optime respondeant. Sicque, vt plura non addam, nulli non patet diaetae necessitas, vtilitas, ingestorum delectus, praeparatio, condimentum, copia, occasio adhibendi, ordo offerendi, plura. Et videor mihi non errasse, adserendo, quod Medicus certo respectu sit bonus cocus, ita vt huc spectantibus inuentis Gallorum, Italorum, Germanorum, aliorumque vti sciat. *Vid. quae extant passim in BOERHAAVII Instit. Med. eiusque Aphorismis.* Sed quam male, quam pessime sibi vident medentes, diaetam non sedulo, serio imperando, & aegri, eam insuper habendo. Omnes sanationis desiderio quam maxime tenentur; sed quadrant huc PLINII verba: *Numquam fuit cupido vitae maior, nec minor cura, Libr. 22. cap. 6.*

§. XXXII.

Plura sunt impedimenta, quam quae exiguo adhuc superstiti harum pagellarum spatio includi possunt. Vt vero in compendio quasi extantiora neglectae diaerae damna exhibeam, polymorphos, malis aegrorum rebus, edunt effectus. Sic enim morbum alunt, producant, morbi symptomata exacerbant, noua & insolita interdum prouocant, nouiter producta iterum exacerbant, crises earumue ordinem sufflaminant, imminuunt, morbi typum corruptum reddunt, remediorum efficaciam inuertunt, suspendunt, inertem efficiunt, Medicum confundunt,

fundunt, recidivas accersunt, quae nouum morbum, priori peiorem, sibi comitem adiungunt, sanabilem morbum in insanabilem conuertunt, & quae sunt alia impedimenta, quae tanquam ex equo Troiano turmatim proueniunt. Et quum *regimen* aegrorum, qua bene obseruatum, multum iuuat, qua neglectum maxime noceat, hinc etiam ad *adiumenta* & *impedimenta* felicitis morborum curationis deueniendum ratione *regiminis*. Dimidium curationis boni & adpropriati regiminis obseruationem esse, recte, si quid video, iudicant scientes. Sed proh dolor! id indolis sunt homines, praesertim sensibiliores, molli-ter educati, diuites, illustrioris fortis personae, sub onere morbi ingemiscentes, vt regimen a Medico imperatum ipsis sit alter morbus, quem ceruicibus suis depellere malunt, quam vt intra regiminis leges continere se debeant.

§. XXXIII.

Quoniam uero regimen ut plurimum in adstantes solummodo deuoluitur, licet, quo iure & successu id fiat, hic definire non liceat; hinc ad illud momentum, quod exorsam meam telam pertexendam absoluit, descendo, nimirum quaenam sese offerant impedimenta

VI.) ratione *adstantium*. Errant certe! qui putant, apud antiquos hoc de momento nec uolam, nec uestigium esse. Antiquissimus Medicinae parens, HIPPOCRATES, *Sect. I. Aphorism. 1.* illius iamiam mentionem inicit: *Oportet, (Medicum)* inquit,

G

non

non solum se ipsum exhibere, quae devent facientem, sed etiam aegrotum, & παρόντας, praesentes, & quae externa sunt. Sicque seculi nostri Medici vltro largientur, quod Medici non tantum huius moniti Hippocratici bene memores sint, sed & illud, quavis data occasione, eo solertius vrgeant, quo magis nostri seculi moribus accommodum est, aut esse videtur. Multifariam autem ii, quibus aegris subseruendi officium delatum est, delinquent. Praesertim foeminae multa hac parte peccant. Laudi quidem ducitur sexui elegantiori, quod ad id operis sexui virili aptiores sint. Sunt enim modestiores, quietiores, nitidiores, magis officiosae & obsequiosae, ad querelas longanimes, ad vexas mansuetiores, ad voces blandiloquas magis compositae. Sed bona quoque mixta sunt malis. Sciolae namque insimul sunt, sibi sapientes, nimium indulgentes, iussaue Medicorum interpretari potius, quam exsequi malunt. Peccant autem adstantes vel *imperitia*, vel *negligentia*. Quam saepe fit, vt adstantes ob nimiam indulgentiam insipidum propinare, noxium recusare, dolorosum adplicare metuant. Quadrant huc SENECAE verba: *Sunt, inquit, quaedam nocitura impetrantibus, quae non dare, sed negare, beneficium est, Libr. 2. de benef. c. 14.* Et sic male petitis aegrorum conuiuendo, malorum munerum auctores sunt, aut, secundum OVIDIUM, poenam pro munere poscunt aegri. Aut sub larua necessariae refectiois obrudunt aegris, ex quibus deinde damna sentiunt; aut circa medicamentorum vsum peccant. Sic inter-



interdum medicamenta commutant, vel errant circa tempus ea exhibendi, aut dosim transgrediendo; mox peccant potus sufficientis denegatione, mox stragulis nimis aegrum obruunt, aut non bene muniunt. Situs aegri denique etiam habenda ratio, qui in variis morbis varius esse debet, siue sit supinus, siue pronus, de quo utilissime egit RIVINVS in *Diss. de situ aegrorum commodo.*

§. XXXIV.

Multo plura quidem restant, sed calamum pono, DEO humillimas agens gratias, quod mihi inter impedimenta versato adiumento esse voluerit, Eumque comprecatus, ut pagellas hasce leuides in decumbentium commodum cedere clementissime sinat.

T A N T V M.



N Erfahrung und Verstand,
An vollkommner Tugend wachsen;
Ist das theure Unterpfand
Vor die Hoffnung Edler Sachsen:
Denn sie führen Sie die Bahn
Zum erhabnen Ehren-Plan.
Hievon soll Dein edler Geist,
Eh Dich Friedrich wird erheben,
Eh man Dich noch Doctor heist,
Allen wahres Zeugniß geben.
Denn soll vor Dein fluges Thun,
Ruhm auf Deiner Scheitel ruhn.
Doch was will ein stumpfer Kiel?
Deine ungemeyne Proben,
Deiner Arbeit Zweck und Ziel,
Werden Dich von selbst loben.
Drum verrichte ungestöhrt,
Was Dich Deine Kunst gelehrt.
Eile denn zu jenen Höh'n,
Zu den angenehmen Fluren,
Wo man Dich schon wünscht zu sehn:
Wo den auserlesnen Spuren
Deines Jacobs, Dich Dein Geist
Mit Vergnügen folgen heist.
Hier soll endlich mit der Zeit
Deine Kunst und Klugheit kämpfen,
Und Morbonens Grausamkeit
Mit Hygäens Waffen dämpfen.
Hier soll Dein Gedächtniß stehn,
Und zur Nachwelt übergehn.
Hiemit empfiehlt sich dem Wohl-Edlen und Wohlgelahr-
ten Herrn Doctorando zu fernerer Gewogenheit
Dessen wahrer und beständiger Freund,
Joachimus Seiverth von Rosenberg,
aus Bistritz in Siebenbürgen, der U. K. B.
Opponens.

NOBI.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IACOBO SCHVSTERO
SALVTARIS DOCTRINAE CANDIDATO
DIGNISSIMO

SAL. PLVR. DIC.

MICH. GOTTL. AGNETHLER

CIBINIO-TRANSILVANVS.

Sratulatorium TIBI, NOBILISSIME SCHVSTERE,
carmen scripturus quum identidem inuitarem musas
sollicitaremque; baud vnquam, ingenue fateor, magis
ame auersas illas, quam bodierno die, expertus sum. Qua-
propter ad simplex hoc scribendi genus me conuertere ma-
lui, quam inuita Minerua, frustra forte, conari amplius.
Obtulisti mihi, vna cum Opponentis munere, elegantem hanc
Dissertationem, cultissimi TVI ingenii foetum, qui abunde
declarat, TE nihil omnino diligentis operae tam in illustri
Salana, quam alma matre Fridericiana, intermisisse, ad
id percolendum, quod ad perficienda ac maturanda studia
TVA villo pertineret modo. Enimuero longissime semper
abfuisi ab eorundem peruersa opinione, qui ministras, quas
vocant, artis salutaris partes, aut nimis languide pertra-
ctant, aut prorsus negligendas esse censent, quasi hae ad
futuri Medici perfectionem parum omnino conferant, atque
ita primo statim tempore, at illotis certe manibus, practi-
cas de sanitatis humanae conseruatione morborumque cura-
tione adoriuntur doctrinas. Quum cordatiores praestan-
tioresque artis medicae doctores longe aliam ineundum esse
viam suadeant, idque ignaui potius & humilis animi esse
iudicent, si quis ita versetur in disciplinis, vt ea, quae ad

perfectiorem elegantioreque ipsarum professionem faciunt, vel negligat, vel, quod multo adhuc peius est, contemptu vlciscatur strenue. Haud obscure hinc utique colligitur, quantum haec omnia ad TVI commendationem facere valeant, qui non solum philosophiae, physices, mathematices, verum etiam omnium illius doctrinae partium, cui litamus, exquisitam tenes rationem. Quum autem hic locus vix capiat de his porro dicenda, meque temporis ac spatii angustia a diligentiae atque eruditionis TVAE laudibus prolixè enumerandis retineat, sincerum saltem adhuc subiungam votum. Dum itaque academicae vitae curriculo finem imposturus, pro consequenda suprema in doctrina medica laurea, quam ex summorum imperantium auctoritate gratus Medicorum Ordo tribuere tantummodo illis solet, quos praeuia exploratione dignos iudicavit, tam egregium eruditionis TVAE cum eruditis communicasti documentum; non tam TIBI de studiis omnibus numeris absolutis, honoribusque doctoralibus, quam patriae, parentibus ac amicis TVIS, tandemque & mihi, gratulor. Faxit summum Numen, ut posthac in aegrorum emolumentum, & parentum solatium ac gaudium, auspiciato omnium TVARVM rerum gaudeas successu. Vale. Dab. Halae propter Salam c13 13cc xxxviii. d. 2. Ianuar.

Du hast, Gelehrter Freund, Dich um die reichen Schätze
 Der innersten Natur mit grossen Fleiß bemüht,
 Du suchtest Wissenschaft, Hygäens weise Sätze
 Und ihre schöne Kunst wodurch Dein Glück blüht
 War Deines Denkens Ziel und edelstes Geschäfte
 Dein Geist der forschte stets, und was Dir dunkel schien
 Machst Du Dir deutlicher durch der Erkänntniß Kräfte,
 Durch unermüdetes und eifriges Bemüh'n.
 Der

Der Neid steht nun beschämt mit blassem Angesichte,
Da man den Doctor-Hut Dir nach Verdienste reicht;
Sein Lästern hilft ihm nichts, sein Anschlag wird zu nichts,
Dieweil die Tugend nicht von ihren Eöhnen weicht.
Die Freude wächst bey mir, Dein Glück ist mein Vergnügen,
Mein treues Herze ist mit Wünschen angefüll't.
Der Himmel seegne Dich, des Höchsten weises Fügen
Sey immerdar Dein Trost, Dein Anker und Dein Schild.
Du hast Dein Ziel erreicht, nun stille Dein Verlangen
Zieh' in Dein Vaterland, die Deinigen zu sehn.
Dein Theurer Jacob wird mit Freuden Dich umfassen,
Wenn Du mit Ruhm gecrönt Ihm wirst zur Seite stehn.

C. A. Albrecht,
aus Magdeburg d. G. G. B.

In Jüngling, dessen hoher Geist
Sich durch ein eifriges Bemühen
Des Übels finst'rer Macht entreißt,
Kan sich dem Tadel nicht entziehen.

Mein Freund! Du zeigest was Dein Fleiß
An reiffer Wissenschaft erlangt,
Da heut Dein Haupt mit Ruhm und Preis
Gecrönt im Doctor-Orden prangt.

Die Tadelsucht scheut sich doch nicht:
Sie will zu Deinem Ruhm sich wagen,
Da ihm gleichwohl nichts mehr gebricht,
Und über Deine Jugend klagen.

Als könnte durch Minervens Macht
Ein Jüngling nicht so viel erfahren,
Als zwanzig Greise kaum gedacht
In den erlebten achtzig Jahren.

Es stammt von kleinen Geistern her:
Es sind ganz niedrige Gedanken;
Drum wird hiedurch auch nimmermehr
Die Stütze Deiner Ehre wancken.

Die

Die Gottheit, welche Dich gecrönt,
Wird Dir auch ihren Schutz verleihen;
Froh also dem, der Dich verhöhnt:
Sein Hohn muß ihm zum Schimpf gedelhen.

So lebe nun Hoch-Edler Freund!
Und blühe bis in späte Zeiten:
Die Weisheit, die in Dir vereint,
Wird Dir ein Ehren-Mahl bereiten.

Hiedurch empfiehlt sich dem Hoch-Edlen
Herrn Candidato zu Seiner beharrli-
chen Freundschaft

Ioh. And. Friderici,
aus Herrmannstadt in Siebenbürgen,
der S. Gottesgelahrh. Besißener.

EXoptata diu tandem lux clara refulsit,
Qua TIBI vix quidquam carius esse potest.
Post varios etenim cursus reuolubilis anni
Contingis portum, quo TIBI cursus erat.
Ista per immensas abeant encomia laudum,
Quae TIBI constituit lux hodierna, plagas;
Praemia longorum statuit pretiosa laborum,
Adque lares patrios haec TIBI sternit iter:
Quae TE prima tulit tellus, iuuenemque reliquit,
Vbere iam lacto sumet amata VIRVM.
Di TIBI sint faciles, maneat TVA fama superstes
Frigida dum cineres clauserit vrna TVOS.
Nunquam dira TVAM turbent contraria sortem;
Sed veniat velis aura secunda TVIS.
Et cum nos istis satum seiunxerit oris,
Me tamen assiduo sentias esse TVVM.

I. G. Wagner, c. r.




01 A 6597

ULB Halle

3

003 092 429







DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-PRACTICA
DE
**PRAECIPVIS ADIVMENTIS
ET IMPEDIMENTIS
FELICIS
MORBORVM CVRATIONIS,**

QVAM
SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
AD D. IANVAR. A.S.R. MDCCXLVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IACOBVS SCHVSTER,
MEDIA-TRANSYLVANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

20.
19

